

**Platonis philosophia moralis,
quomodo concinat cum doctrinae Christianae praeceptis.**

Quod M. Quinctilianus eloquendi respiciens facultatem professus est de Platone, non hominis illum ingenio, sed oraculo quodam Delphico sibi videri instinctum, id nos quidem quum de omni ejus disserendi acumine admirabili, tum de iis maxime praeceptis, quae de moribus hominum rebusque divinis tradidit, ex intima animi nostri sententia judicaverimus. Adeo enim illa altioris sapientiae lumine coelesti sunt illustrata, adeo ad excitandum honestatis studium et ad sustentandam animi tranquillitatem idonea, ut vel patres ecclesiae, qui dicuntur, haud dubitaverint ea, utpote quae proxime accedant ad doctrinae sacrae similitudinem, summis commendare laudibus, nec defuerint, qui Platonem non sui solius ingenio, sed singulari numinis divini gratia praesidioque arbitrarentur usum fuisse in condenda disciplina sua ¹⁾. Eundem enim τὸν λόγον, qui in Christo comparuerit luculentissime, vim quamdam putarunt jam ante Christiana tempora exseruisse et ad veritatem penitus cognoscendam plurimum valuisse ²⁾. Exstiterunt etiam, qui Platonis philosophiam tanquam ducem praestantissimam esse ad Christi disciplinam, quin etiam huic propemodum aequam existimarent. In quibus prae ceteris numerandi sunt Clemens Alexandrinus ³⁾, Augustinus ⁴⁾,

¹⁾ Clemens Alex. str. 1, 104. ἐνδείξομαι — — θείας ἔργον προνοίας καὶ φιλοσοφίαν etc.

²⁾ Hinc quidem intelligitur, quod est apud Minucium Fel. Octav. 20. — „ut quis arbitretur, aut nunc Christianos esse philosophos, aut philosophos jam tunc fuisse Christianos.“ — In eam partem accipitur haec Justini M. sententia: καὶ οἱ μετὰ λόγου βιώσαντες χριστιανοὶ εἰσι, καὶ ἄθεοι ἐνομίσθησαν.

³⁾ Stromat. p. 234a. καίτοι καθ' ἐαυτὴν ἰδικαίον ποτὲ καὶ ἡ φιλοσοφία τοὺς Ἕλληνας. Alibi: παρασκευάζει τοίνυν ἡ φιλοσοφία προοδοποιούσα τὸν ὑπὸ Χριστοῦ τελειούμενον. Str. 1, 207a. ἦν — πρὸ τῆς τοῦ κυρίου παρουσίας εἰς δικαιοσύνην Ἕλλησιν ἀναγκαία ἡ φιλοσοφία· νυνὶ δὲ χρησίμη πρὸς θεοσέβειαν γίνεται προπαιδεία τις οὖσα τοῖς τὴν πίστιν δι' ἀποδείξεως καρπομένοις. Ab hoc loco non alienum putamus, Mauropi illius metropolitae versus adscribere, in quibus cum singulari Platonis admiratione et verecundia copulatam cernimus superstitionem quandam religiosam. Versus de graecis conversi hi sunt:

Si quos averni liberare nexibus
Tibi constitutum est, Christe, non credentium,
Precibus Platonem redde ac Plutarchum meis,
Uterque quorum moribus, sententia,
Accessit ad leges tuas quam proxime.
Quod si deum esse te universi, pridem eos
Latuit, modo hos nunc experiri gratiam
Concede, qua gratis beare omnes cupis.

⁴⁾ Retr. 1, 13. „Res ipsa, quae nunc religio Christiana nuncupatur, erat apud antiquos nec defuit ab initio generis humani, quousque Christus veniret in carnem, unde vera religio,

Eusebius ⁵⁾, Origenes ⁶⁾. Alii complures argumentis studuerunt convincere Platonem revelatae religionis fontibus usum esse ⁷⁾, quanquam in contrariam partem alii disputarunt. Etiam post extinctas veterum deorum religiones doctrina Platonis innumeros Christianorum habuit sectatores cultoresque, ac postquam e diuturna barbarie et quasi somno animorum mortis simili resuscitata sunt literarum et artium liberalium studia, incredibilem eruditis omnibus admirationem iniecit reddita hominibus illius philosophiae lux. Itaque in Mediceorum domo nova quaedam effloruit academia, quae vel natalem Platonis diem solebat celebrare. Quid quod Cosmus ille Medicus quibusdam Platonis locis tantam existimavit inesse vim et efficaciam, ut vel moribundus veram indidem conciperet spem et consolatione erigeretur quam maxima. Nec statim post inchoatam a Luthero divinae veritatis renovationem defuerunt, qui Platonis egregiam cum Christo consensionem admirarentur, quorum e numero Erasmus Roterodamum ⁸⁾ nominamus et Philippum Melancthonem ⁹⁾, Germaniae praeceptorem. Denique hac nostra aetate sunt exorti, qui Platonis rationem cum scriptoribus sacris vel maxime conspirare docerent, uti Staendlinus, Frid. Henr. Jacobi, Ludov. Adolph. Grotefendus, Stallbaumius, omnium autem maxime Ackermannus, quippe qui copiosissime consensum illum exposuit.

Jam vero quaerentibus, quid sit judicandum de illa, quae inter Academiam et Christi doctrinam intercedere dicitur, similitudine, ante omnia dispiciendum nobis erit, quomodo contineantur inter se Platonis placita. Atque in hac prima quidem, quam aliae deinceps sequentur, hujus generis commentatione nostra moralem Platonis philosophiam contemplabimur et exponemus, quibus ille ductus sententiis primariis morum praecepta protulerit, simulque congruos sacri codicis locos hic juvabit laudare, quo diligentius, quae comparationem habeant, possimus attendere.

Orsus igitur a divino illo praecepto *γνώθι σεαυτόν*, utque philosophum decebat e Socratis disciplina profectum, *οἰκοθεν ἀρχόμενος* semet ipsum i. e. animum hominis quaeque insunt ipsi studia cognoscere studuit Plato et principium petens ex sancti divinique illo, qui a natura nobis inditus est, appetitu viam sibi aperuit, ut apte poneret doctrinae moralis fundamenta. Socratica igitur ratione, quid sit in animo virtus sive justitia (*δικαιοσύνη*) ¹⁰⁾ ex ipsa animi natura explorans diversas mentis humanae discernit facultates; in ea enim deprehendi simul ejusdem rei et appetitum naturalem et aspersionem viderat. Discernit igitur a cupiditatibus rationem, qua quid malum sit quidve bonum judicatur. Illud etiam, quo ratiocinamur, rationale (*τὸ λογιστικόν*) vocat; illud vero, quo concupiscimus quaeque et appetimus, irrationale vel cupiditatis impetum (*τὸ ἐπιθυμητικόν*). His tertiam adjecit partem tanquam sociam cupiditatum, sed quae eadem rationis ministra et adjutrix sit, *τὸ θυμοειδές*, qua voce significare voluntatis quandam vim facultatemque vide-

quae jam erat, coepit appellari Christiana. Proxime idem abesse dicit Platonicos a veritate Christiana eosque veros esse Christianos „paucis mutatis verbis atque sententiis.“ De ver. rel. 4, 7.

⁵⁾ Praep. evang. 13, 14. Platonem nominat *μόνον πάντων Ἑλλήνων ἀληθείας προδύρων φάσαντα*.

⁶⁾ „Origenes totam academiam visus est in ecclesiam transtulisse.“ Origenian. 2. 3. 17. p. 192.

⁷⁾ Hinc Plato vel *Μωσῆς ἀπικίζων* nominabatur vel ὁ ἐξ Ἑβραίων φιλόσοφος.

⁸⁾ „Quid aliud, ait, Christi philosophia, quam ipse renascentiam vocat, quam instauratio bene conditae naturae? — — permulta reperire licet in ethnicorum libris, quae cum ejus doctrina consentiant.“ — Post haec complures in hujus rei testimonium profert locos Platonis.

⁹⁾ Oratt. t. 2. p. 347. sqq.

¹⁰⁾ Eadem est hujus vocis potestas in sacris libris. cf. Matth. 5, 6. *Μακάριοι οἱ πεινῶντες καὶ διψῶντες τὴν δικαιοσύνην*. cf. 6, 33. act. 13, 10. — — *ὡς διὰ βόλον, ἐχθρὸς πάσης δικαιοσύνης*.

tur, quae vel honoris studio vel animi concitatione cernitur. In quibus τῷ λογιστικῷ quidem convenire dicit praeesse atque dominari ¹¹⁾, cum sapiens sit illud geratque totius animi providentiam; τῷ θυμοειδεῖ vero, obsequi rationi proque illa pugnare ¹²⁾ opemque afferre ad animum totum recte gubernandum. Τὸ ἐπιθυμητικόν denique et rationi debere obtemperare et τῷ θυμοειδεῖ rationem adjuvanti. Justum autem sive perfectum hominem evasurum docet esse eum, in quo singulae quaeque animi partes sua recte peragant et quasi officia exsequantur omnia. Ex hac vero *δικαιοπραγίᾳ*, quae omnem tollat *ἀλλοτριόπραγμοσύνην*, summum exoriri omnium virium concentum et veram hominis unitatem existere; hunc enim concentum, hanc *ἁρμονίαν*, ipsam esse virtutem ¹³⁾ veramque ea vitam procreari ¹⁴⁾. Hinc musicam, quae harmoniae sensu decori studium excitet in animis hominum eosque ad *εὐρυθμίαν*, *εὐαρμοστίαν*, *εὐσχημοσύνην* componat (de rep. 3, 401a.), ad excolendum erudiendumque animum vim habere quam maximam. Πᾶς γὰρ, inquit, ὁ βίος τοῦ ἀνθρώπου εὐρυθμίας τε καὶ εὐαρμοστίας δεῖται. (Prot. 326b.) Homo proinde fit μουσικὸς, ἀρμονίαν καλλίστην ἡρμωμένος οὐ λόγῳ οὐδὲ παιδιᾷς ὄργανα, ἀλλὰ τῷ ὄντι ξῆν ἡρμωμένος αὐτὸς αὐτοῦ τὸν βίον σύμφωνον τοῖς λόγοις πρὸς τὰ ἔργα. (Lach. 188d.) Hunc quidem animi concentum tuetur ὁ λόγος μουσικῆ κεκραμένος, ὃς μόνος ἐγγεγόμενος σωτὴρ ἀρετῆς διὰ βίον ἐνοικεῖ τῷ ἔχοντι (de rep. 8, 549b.). In justo bonoque homine sic illa tria demonstrat esse temperata, ut suum quaeque peragant et secum conciliantur invicem. Sublato autem hoc trium illorum consensu hominem ad pejorem delabi conditionem, diversis agitari modo in meliorem, modo in deteriore partem studiis inque varias partes huc illuc distrahi ¹⁵⁾, ut in animo ejus quasi seditiones oriantur. Vel omni sprete rationis auctoritate effici non posse, quin ex cupiditatibus ille prorsus effrenatis commotionibusque animi pendeat et ab iis, quae hominem unice decent, virtutibus abripiatur procul. Nec vero prorsus opprimendas illas vel extirpandas esse ¹⁶⁾, sed prohibendas solum, ne rationis sibi vindicent imperium; tanquam equos feroces esse illas rationi veluti domitori in disciplinam et obsequium tradendas, ut non modo coerceri, sed etiam ad salutem nostram concitari vel adhiberi possint.

Supremam igitur legem, qua ex mente Platonis quid agendum quidve fugiendum sit, dis-

¹¹⁾ Comparavit animum haud inepte cum equorum jugo ab auriga gubernato Phaedr. 253—55. Conferre etiam licet pulcrum, qua interiore animi conditionem expressit, imaginem rep. 9, 588—90.

¹²⁾ Rom. 12, 11. τῇ σπουδῇ μὴ δυνηροί· τῷ πνεύματι ζέοντες. 1 Cor. 16, 13. στήμετέ ἐν τῇ πίστει· ἀνδρίζεσθε, κραταιοῦσθε. cf. Ephes. 4, 26. Rationalem hominis partem complectitur τὸ πνεῦμα, irrationalem ἡ σὰρξ. cf. Galat. 5, 17. Ἡ γὰρ σὰρξ ἐπιθυμεῖ κατὰ τοῦ πνεύματος, τὸ δὲ πνεῦμα κατὰ τῆς σαρκὸς ταῦτα δὲ ἀλλήλοις ἀντίκειται, ἵνα μὴ ἂν θέλητε, ταῦτα ποιῆτε. Rom. 8, 4—8. 7, 15. sqq. cf. legg. 1, 644.

¹³⁾ Rep. 4, 443—44. Cic. de rep. 1, 38. Gorg. 482b. de legg. 2, 653a. Quatuor virtutis formae nominantur prudentia, justitia, fortitudo, temperantia (rep. 4, 428. sqq. cf. libr. Sap. Sal. 8, 7.), quibus passim adjungitur omnium praestantissima ἡ εὐσέβεια. Μείζον μὲν γὰρ ἀρετῆς μηδεὶς ἡμᾶς ποτε πείθη τῆς εὐσεβείας εἶναι τῷ θυμῷ γένει (Epin. 989b.). Tam arcta vero secundum Platonem virtutes illae necessitudine inter se continentur, ut unam quasi efficiant. cf. Jac. 2, 10. Ὅστις γὰρ ὄλον τὸν νόμον τηρήσει, πταίσει δὲ ἐν ἐνὶ, γέγονε πάντων ἔνοχος. cf. Matth. 5, 19. 1 Cor. 13.

¹⁴⁾ — καὶ μεγάς τῷ ὄντως ὄντι, γεννήσας νοῦν καὶ ἀλήθειαν, γνοίη τε καὶ ἀληθῶς ξοφῆ καὶ τρέφοιτο (rep. 6, 490b.). cf. Gal. 6, 8. — ὁ δὲ σπείρων εἰς τὸ πνεῦμα, ἐκ τοῦ πνεύματος θερίσει ζωὴν αἰώνιον. Rom. 8, 6. — τὸ δὲ φρόνημα τοῦ πνεύματος ζωὴ καὶ εἰρήνη.

¹⁵⁾ Rep. 9, 588. sqq. 1, 351. legg. 1, 644. cf. Jac. 4, 1. Πόθεν πόλεμοι καὶ μάχαι ἐν ὑμῖν; Οὐκ ἐντεῦθεν, ἐκ τῶν ἡδονῶν ὑμῶν τῶν στρατευομένων ἐν τοῖς μέλεσιν ὑμῶν; cf. 1, 4. Rom. 7, 18. 19. Οἶδα γὰρ, ὅτι οὐκ αἰνεῖ ἐν ἐμοί, τοῦτ' ἔστιν ἐν τῇ σαρκί μου, ἀγαθόν· τὸ γὰρ θέλειν παράκειται μοι, τὸ δὲ κατεργάζεσθαι τὸ καλὸν οὐκ εὐρίσκω. Οὐ γὰρ ὁ θέλω, ποιῶ ἀγαθόν· ἀλλ' ὁ οὐ θέλω κακόν, τοῦτο πράσσω. cf. v. 15, 23. Gal. 5, 17.

¹⁶⁾ Rep. 8, 558e—559a. legg. 1, 631b. — cf. Col. 2, 23. Ἄτινά ἐστι λόγον μὲν ἔχοντα σοφίας ἐν

cernitur, his verbis licet complecti: Virium animi concentum ad naturae normam ita perficias atque serves, ut rationis legibus ubicunque obtemperes, ceteras autem vires cohibeas et in rectum ordinem redigas. Quare virtus etiam sanitas, pulcritudo quaedam et integra animi conditio nominatur in eoque cernitur, ut animi partes ad naturae legem cum regant tum regantur. Pravitas contra morbus, turpitudine et infirmitas est in eoque nititur, ut contra naturam aliud alii sive imperet sive pareat ¹⁷⁾. Virtutem vero colere ob ingentem sensuum vim ac vehementiam perturbationum res est omnium difficillima. Tanta est enim secundum Platonem difficultatum copia, ut beatum praedicet illum, qui vel senex virtutem sit assecutus. Quaeritur ergo, quaenam ille consequendae virtutis adminicula adjumentaque humano generi a deo data esse existimaverit.

Insita nobis philosophia et, quod maxime ad eam pertineat, innato nobis pulcri verique studio et amore nos edoceri statuit, qua via ac ratione ad virtutem vitaeque sanctitatem adducamur. Philosophiae autem esse, insitas quasque virtutes explicare, ut quae homini insit ad praeclara omnia indoles naturalis excitetur exultaque prodeat in lucem et quasi partu emittatur. Jam vero animum dicit vinctum esse in corpore tanquam carcere inclusum ab eoque impediri potissimum, quominus veram cernat virtutem seque ipsum ad ejus exemplum emendet. Etenim cogitandi libereque agendi impedimenta esse inprimis quae ad corpus spectent voluptates ac vanas, praejudicatas falsasque opiniones. Quibus vinculis solvere animum [τὴν ψυχὴν λύειν] ¹⁸⁾ sordibusque sensuum purgare [καθαίρειν] omninoque impedimenta illa summovere, quo certius ratio in suam se vindicet libertatem ¹⁹⁾ ultroque tendat ad veram cognitionem et virtutem, munus esse philosophiae gravissimum. Philosophi igitur, inquit, est in hac vita animam sejungere a corpore et ab sensuum perceptione discedere, quatenus rationis imperio reluctentur, abstinere voluptatibus et quoad ejus fieri potest omni affectu. Magno eum opere eniti oportet, ut se revocet in se ipsum et recolligat [αὐτὴν (τὴν ψυχὴν) καθ' ἑαυτὴν συναγείρεσθαι τε καὶ ἀθροίξεσθαι ἐκ τοῦ σώματος], ipsius animus ut in semetipsum quasi redeat ²⁰⁾, quo facilius ad veritatis sanctitatisque studium sibi aperiat viam et ad perfecta illa exemplaria pulcri bonique et justī se convertat eaque vivendo agendoque non dicam assequatur vel aequet, verum intueatur et imitetur. Quod tamen quum contingere nemini nisi qui animum sevocet a corpore possit, philosophi vitam statuit *θανάτου μελέτην* ²¹⁾, mortis meditationem sive ad moriendum exercitationem quandam esse ac proinde tantum abesse, ut is aegre mortem ferat, ut nihil

ἐθελούθησκεια καὶ ταπεινοφροσύνη καὶ ἀφειδίαι σώματος οὐκ ἐν τιμῇ-τινι, πρὸς πλησμονὴν τῆς σαρκός. Rom. 12, 15. *Χαίρειν μετὰ χαϊρόντων.*

¹⁷⁾ Rep. 4, 444 d. e. 1, 353 b. c.

¹⁸⁾ Phaed. 64. seq. 83. 84.

¹⁹⁾ Τὸ νικᾶν αὐτὸν αὐτὸν πασῶν νικῶν πρώτη τε καὶ ἀρίστη, τὸ δὲ ἠτῶσθαι αὐτὸν ὑφ' ἑαυτοῦ πάντων ἀσχιστόν τε ἅμα καὶ κάκιστον· ταῦτα γὰρ ὡς πολέμον ἐν ἐκάστοις ἡμῶν ὄντος πρὸς ἡμᾶς αὐτοὺς σημαίνει (legg. 1, 626.). Cf. Prov. Sal. 16, 32. Rom. 7, 23. βλέπω δὲ ἕτερον νόμον ἐν τοῖς μέλεσι μου ἀντιστρατευόμενον τῷ νόμῳ τοῦ νοός μου etc. 1 Cor. 9, 24. seq. Οὐκ οἴδατε, ὅτι οἱ ἐν σταδίῳ τρέχοντες, πάντες μὲν τρέχουσιν, εἰς δὲ λαμβάνει τὸ βραβεῖον; Οὕτω τρέχετε, ἵνα καταλάβητε. Πᾶς δὲ ὁ ἀγωνιζόμενος πάντα ἐγκρατεύεται· ἐκίνοι μὲν οὖν, ἵνα φθαρτὸν στέφανον λάβωσιν, ἡμεῖς δὲ, ἀφθαρτον. cf. Gal. 5, 16. sqq. v. 24. Οἱ δὲ τοῦ Χριστοῦ ἐσταύρωσαν τὴν σάρκα σὺν τοῖς παθήμασι καὶ ταῖς ἐπιθυμίαις. cf. Rom. 8, 1. 4. 6. 1 Petr. 2, 11.

²⁰⁾ Senec. ep. 15. redire a corpore ad animum; ep. 25. in se ipsum recedere. Antoninus εἰς ἑαυτὸν ἀναχωρεῖν εἰς ἑαυτόν. Cf. Luc. 15, 17. Εἰς ἑαυτὸν δὲ ἐλθὼν etc.

²¹⁾ Οἱ φιλοσοφοῦντες θανατῶσιν. Phaed. 64 b. 80 fin. Crat. 403 d. e. Cic. Tusc. 1, 30. Cf. 2 Cor. 5, 8. θαρσύνομεν δὲ καὶ εὐδοκοῦμεν μᾶλλον ἐκδημηῆσαι ἐκ τοῦ σώματος καὶ ἐκδημηῆσαι πρὸς τὸν κύριον. Phil. 1, 23. Συνέχομαι δὲ ἐν τῶν δύο, τὴν ἐπιθυμίαν ἔχων εἰς τὸ ἀναλῦσαι, καὶ σὺν Χριστῷ εἶναι.

morte habeat antiquius vel jucundius. Namque absurdum esset, ait, si non libenter illuc proficisceretur, quo ubi perveneri spes est fore, ut quod amavit per totam vitam, obtineat (Phaed. 68b.).

Arcte est apud Platonem cum virtute conjunctus cognatusque amor ille coelestis, cujus in homine hanc esse vim dicit et efficacitatem ²²⁾, ut ad pulcri aspectum nos incendat et vehemens quoddam excitet aliatque pulcri quod idem bonum sit ²³⁾ desiderium, deinde ut disciplinas quaeramus, quibus nutriti et corroborati in regnum veritatis possimus escendere, denique ut ad virtutem ἐνθέτους nos efficiat et quae insitae nobis sint facultates suscitet omnes ac firmet, quod efficere nec genus nec honores nec divitias nec alia qualiacunque posse (Conv. 178.). Oriri autem amorem istum ex indigentia ²⁴⁾ naturae nostrae, qua nobismet ipsis edoceamur non sufficere nos, verum ad pulcri honestique studia explenda dei auxilio ²⁵⁾ indigere ob eamque causam in suscipiendo quolibet opere vel magno vel parvo invocare nos numen divinum, ut nobis quod precemur suppeditet animique expleat desideria ²⁶⁾. Est igitur amor secundum Platonis sententiam ut virtutis auctor (Symp. 202a.) inter deum hominemque intermedius, qui illius ad hunc beneficia hujusque ad illum preces transferre dicitur, ut immensum, quo separentur a se invicem, intervallum compleat hominemque ad vitae integritatem sanctitatemque informet. Hinc cultum enasci ac venerationem dei, cujus gratiam neque muneribus nec supplicationibus et sacrificiis posse conciliari. Legg. 905—907. Spem enim adipiscendae beatitudinis parari unice dicit pietate ²⁷⁾ (ὁσιότητι) ac pura sinceraque mente ²⁸⁾. Quodsi vero, inquit, ad deum precamur, orare non debemus, ut voluntatem nostram cuncta sequantur (ἐπεσθαι πάντα τῇ ἐαυτοῦ βουλήσει), sed ut sapientiam voluntas. Diligenter enim nos advertamus oportere animos, ne mala quasi bona sint a deo expetamus ²⁹⁾. Deum solum sapientem esse, humanam vero sapientiam parvi vel nihili esse pendendam ³⁰⁾ (Apol. 22c.). Pariter

²²⁾ Quae in Convivio (197d.) de amore dicuntur, valde congruunt cum iis, quae Paulus profert 1 Corinth. 13.

²³⁾ Verum a pulcro vel justo separari prorsus ac dissociari nequit. Tam arcte enim sunt apud Platonem haec tria inter se conjuncta, ut altero sublato vix possit alterum consistere.

²⁴⁾ Αὐτὸ γὰρ τοῦτο ἐστὶ χαλεπὸν ἀμαθία, τὸ μὴ ὄντα καλὸν καὶ ἀγαθὸν μηδὲ φρόνιμον δοκεῖν αὐτῷ εἶναι ἱκανόν· οὐκ οὐκ ἐπιθυμῶν ὁ μὴ οἰόμενος ἐνδεὴς εἶναι οὐδ' ἂν μὴ οἴηται ἐπιδεισθαι (Conv. 204, init.) Cf. Apoc. 3, 17. Matth. 5, 3. Μακάριοι οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι· ὅτι αὐτῶν ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν. v. 6. Μακάριοι οἱ πεινῶντες καὶ διψῶντες τὴν δικαιοσύνην· ὅτι αὐτοὶ χορτασθήσονται.

²⁵⁾ Meno 99c. ἀρετὴ ἂν εἴη οὔτε φύσει οὔτε διδακτὸν, ἀλλὰ θεῖα μοῖρα παραγυρομένη ἄνευ νοῦ, οἷς ἂν παραγίγνηται. Cf. rep. 6, 492a. e. Diog. Laert. 1. 5. 88. ὅτι ἂν ἀγαθὸν πράττης, εἰς θεὸν ἀνάπεμπε. Cf. 1 Cor. 12, 6. καὶ διαιρέσεις ἐνεργημάτων εἰσὶν, ὁ δὲ αὐτὸς θεὸς ὁ ἐνεργῶν τὰ πάντα ἐν πάσιν. Phil. 2, 13. Ὁ θεὸς γὰρ ἐστὶν ὁ ἐνεργῶν ἐν ὑμῖν καὶ τὸ θέλει καὶ τὸ ἐνεργεῖν, ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας. Cf. 1 Corinth. 4, 7. Rom. 12, 3.

²⁶⁾ Ἐπεὶ αὐτῶν γε καὶ πόδας καὶ χεῖρας ἐθέλουσιν ἀποτέμεσθαι οἱ ἄνθρωποι, ἐὰν αὐτοῖς δοκῇ τὰ ἐαυτῶν πονηρὰ εἶναι· οὐ γὰρ τὸ ἐαυτῶν ἕκαστοι ἀσπάζονται, εἰ μὴ τις τὸ μὲν ἀγαθὸν οἰκτεῖ καλεῖ καὶ ἐαυτοῦ, τὸ δὲ κακὸν ἀλλότριον (cf. Matth. 5, 30. καὶ εἰ ἡ δεξιὰ σου χεῖρ σκανδαλίζει σε, ἔκκοψον αὐτήν καὶ βάλε ἀπὸ σου etc. cf. c. 18, v. 8.). Conv. 206a. ὡς οὐδ' ἔν γε ἄλλο ἐστὶν οὐ ἐρωσιν ἄνθρωποι ἢ τοῦ ἀγαθοῦ. Rep. 6, 505d. e. 496a. 3, 403c. Δεῖ δὲ πον τελευτῶν τὰ μουσικὰ εἰς τὰ καλοῦ ἐρωτικά.

²⁷⁾ Euthyphr. 7. 8. 12. Gorg. 507b. cf. Luc. 1, 75. — ἐν ὁσιότητι καὶ δικαιοσύνη ἐνώπιον αὐτοῦ etc. ²⁸⁾ Cic. de Nat. D. 2. 28. Cultus deorum est optimus idemque castissimus atque sanctissimus plenissimusque pietatis, ut eos semper pura, integra, incorrupta et mente et voce veneremur. Sen. ep. 115. Cf. Matth. 5, 8. Μακάριοι οἱ καθαροὶ τῇ καρδίᾳ. 1 Jac. 1, 22. 27. Joh. 4, 24. 5, 3.

²⁹⁾ Legg. 3, 687d. sq. 7, 801a. sq. Gorg. 466d. Meno 77c. οἰόμενοι τὰ κακὰ ἀγαθὰ εἶναι — ἐπιθυμοῦσιν αὐτῶν. Phaedr. 279b. c.

³⁰⁾ Κάπειτα ἐπερώμην αὐτῷ δεικνύμαι, ὅτι οἶοιτο μὲν εἶναι σοφός, εἴη δ' οὐ. Apol. 21c. 23d. Prot.

philosophum dicit nunquam sibi bonum vel sapientem videri (Apol. 21. 23. Tim. 30.). Hinc praeclare sentit de misera eorum insania dementiaque, qui magnopere se jactant et mirifice virtute sua sapientiaque exsultant, quamquam a vera justitiae tramite absunt longissime ³¹). (*Αγάλλονται γὰρ τῷ ὀνειδέει καὶ ὄνται ἐκούειν ὅτι οὐ λῆροί εἰσι, γῆς ἄλλως ἄχθη etc. Theaet. 176.*). Neque vero minus eos in hoc castigat, quod nimio et quasi caeco sui amore capti justo majus pretium sibi statuunt inque errores proinde vanasque opiniones incidunt. (legg. 5, 731. 32. τὸ δὲ ἀληθεῖς γε πάντων ἀμαρτημάτων διὰ τὴν σφόδρα ἐαυτοῦ φιλικὴν αἰτίαν ἐκάστω γίνεται ἐκάστοτε τυφλοῦται γὰρ περὶ τοῦ φιλουμένου ὁ φιλῶν — — τὸ αὐτοῦ πρὸ τοῦ ἀληθοῦς αἰεὶ τιμᾶν δεῖν ἡγούμενος). Ignorantiam igitur censet veluti matrem erroris esse depellendam maximeque in rebus honestis vel turpibus cavendam (vid. not. 29.).

Praecipuum deinde virtutis fontem collocat Plato in puerorum recta institutione ³²), quorum animum totum penitusque ita excolendum censet esse, ut sensus omnes et facultates, quas in semetipsis tanquam igniculos habeant, eliciantur, alantur corroborenturque et ipsi tales fiant, quales natura ipsi sua possint atque debeant (*φιλόκλοι, φιλόμουσοι, ἐρωτικοί, φιλομαθεῖς*). Illuc autem valere plurimum affirmat artem omnium longe difficillimam, ut semetipsos cognoscant, ad semetipsos intuendos judicandosque convertantur (Alcib. I. 129—135.). Hinc nobis ad vitam recte instituendam proponit perfectam illam rempublicam ad eamque hominis animum ita exigit, ut in nobis ipsi perfectam quasi civitatem omnesque ejus cum partes tum virtutes attendamus et ad ejus perfectam speciem nos conformemus ³³). Eodem permultum valere dicit puerorum institutionem, ut optima iis informetur civitas, quo facilius ipsi per se optimis quibusque artibus et disciplinis progrediantur ad puram sinceramque virtutem et amoris obsequentes ducti ad provehendam civium salutem atque honestatem omnem mentis animique vim vigoremque adhibeant ³⁴).

Initium autem philosophiae atque etiam virtutis in admiratione ponit (Theaet. 155 d. οὐ γὰρ ἄλλη ἀρχὴ φιλοσοφίας ἢ αὕτη (τὸ θαυμάζειν) ³⁵). Ex admiratione enim existere dicit amorem pulcri

344c. Καὶ εἶναι ἄνδρα ἀγαθὸν ἀδύνατον, καὶ οὐκ ἀνθρώπειον· ἀλλὰ θεὸς ἂν μόνος τοῦτο ἔχοι τὸ γέρας. Rep. 2, 379. Ἀγαθὸς ὁ γε θεὸς τῷ ὄντι, ubi bonitas intelligitur summa divinae naturae praestantia moralis. Conf. Epictet. IV, 12. 19. ed. Schweigh. Τί οὖν; δυνατὸν ἀναμάρτητον εἶναι ἦδη; Ἀμήχανον· ἀλλ' ἐκείνο δυνατὸν, πρὸς τὸ μὴ ἀμαρτάνειν τετάσθαι διηνεκῶς, quibus compara Phil. 3, 12—14. — ἐπιεκτεινόμενος. Diog. Laert. Prooem. 8. Μηδένα εἶναι σοφὸν ἀνθρώπων, ἀλλ' ἢ θεόν. — Cf. 1 Joh. 1, 8. Ἐὰν εἴπωμεν, ὅτι ἀμαρτίαν οὐκ ἔχομεν, ἐαυτοὺς πλανῶμεν καὶ ἡ ἀλήθεια οὐκ ἔστιν ἐν ἡμῖν. Luc. 18, 19. Τί με λέγεις ἀγαθόν; οὐδεὶς ἀγαθός, εἰ μὴ εἷς, ὁ θεός. Matth. 19, 17.

³¹) Phileb. 48. fin. Τῶν ἀρετῶν δ' αἶψ' οὐ σοφίας περὶ τὸ πλήθος πάντως ἀντεχόμενον μεστὸν ἐρίδων καὶ δοξοσοφίας ἐστὶ ψευδοῦς. cf. 40c., rep. 8, 560. sq. — cf. not. 30. supra. Matth. 7, 15. Προσέχετε δὲ ἀπὸ τῶν ψευδοπροφητῶν, οἵτινες ἔρχονται πρὸς ὑμᾶς ἐν ἐνδύμασι προβάτων, ἔσωθεν δὲ εἰσὶ λύκοι ἀρπαγῆς. 2 Cor. 11, 14. — Αὐτὸς γὰρ ὁ σατανᾶς μετασχηματίζεται εἰς ἄγγελον φωτός. Cf. Matth. 23, 13. sqq. Joh. 8, 44.

³²) Itaque philosophia frequentissime apud Platonem ut institutio quaedam perhibetur. Gorg. 484. 85. Quaeque ex institutione perversa redundant incommoda exponuntur in Tim. 86c. legg. 6, 766a. — Cf. 768a., rep. 4, 423c., ubi quae bonam institutionem sequantur commoda proferuntur.

³³) Ἀλλ' ἀποβλέπων γε πρὸς τὴν ἐν αὐτῷ πολιτείαν καὶ φυλάττων μὴ τι παρακινήσῃ αὐτοῦ τῶν ἐκεῖ etc. rep. 591c. 608. Cf. Marc. 10, 15. — ὅς ἐὰν μὴ δέξηται τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ ὡς παιδίον, οὐ μὴ εἰσελθῆ εἰς αὐτήν. Luc. 17, 21. — ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ ἐντὸς ὑμῶν ἐστίν. Matth. 6, 33. Ζητεῖτε δὲ πρῶτον τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ καὶ τὴν δικαιοσύνην αὐτοῦ· καὶ ταῦτα πάντα προστεθήσεται ὑμῖν.

³⁴) Conv. 193. — πάντ' ἄνδρα χρὴ πάντα παρακινεῖσθαι εὐσέβειαν περὶ θεοῦ. cf. 197d. Apol. 28. — 1 Cor. 12, 14. sq. Eph. 4, 16.

³⁵) Cf. rep. 518a. sq.

bonique. Quodsi quis pulcrum aliquid intueatur ejusque amore e somno quasi excitetur, erubescere primum eum et oboriente, quasi quid antea turpe peregerit, pudore capi (Conv. 178.); tum doloribus angi et anxietate noctu et interdiu repleri ac tremore quodam percuti³⁶⁾. Sed ubi primum animo conceperit pulcrum, aemulatione incendi et corripit quadam commutatione. Ac dolores quidem illos sedari³⁷⁾ philosophiae ope dicit eademque mentis aperiri oculos³⁸⁾, quippe quae oberrantem e tenebris educat inque veritatis lucem convertat³⁹⁾ atque occultas in animo suscitet puleri, boni justique ideas, totius autem hominis commutatione efficiat, ut novam ille veluti viam ingrediatur sursumque mentem erigat⁴⁰⁾.

Virtutem vero esse propter se ipsam expetendam eamque ne cogitari quidem posse, nisi sit e rationis imperio profecta, vix dici potest quanta gravitate Plato docuerit. Itaque rationi obtemperare nos jubet nulla ex causa potiori, quam ut rationi obtemperemus (Phaed. 69.)⁴¹⁾. Virtutem igitur morumque honestatem neque nostris ipsorum commodis neque eventu rerum gestarum, sed animi et consilii, quod quisque in agendo vivendoque sequitur, naturalique bonitate et rationis consensu praecipit esse metiendam, ut virtutem colere dicatur is, qui ab eo, quod honestum esse duce ratione cognoverit, nulla felicitatis cujusquam spe vel opinione deterreatur. Nec vero virtutis laudem assequi eum, qui vel unam vincat cupiditatem, ut indulgeat alii⁴²⁾. Omnium igitur bono-

³⁶⁾ Sic impetus amoris poëticae tanquam furor divinus describitur in Phaedr. 249—51.; profecto tamen ad philosophiam illud carmen spectat. Equidem nescio, an conscientiae qua quis excitatur vis cum anxia illa mente comparari queat. Conferre licet rep. 1, 330d. 9, 578a. sq. 9, 515, ubi conscientiae vim videtur exprimere. Cf. 2 Cor. 7, 10. Ἡ γὰρ κατὰ θεὸν λύπη μετάνοιαν εἰς σωτηρίαν ἀμεταμέλητον κατεργάζεται. ἡ δὲ τοῦ κόσμου λύπη θάνατον κατεργάζεται. act. 2, 37. Ἀνούσαντες δὲ κατενύγησαν τῇ καρδίᾳ etc.

³⁷⁾ Cic. de fin. 2, 5. Imo medicina animi philosophia est.

³⁸⁾ Sophist. 230b. c. d. rep. 10, 619c. οὐ γὰρ ἐαυτὸν αἰτιῶσθαι τῶν κακῶν, ἀλλὰ τύχην τε καὶ δαιμονας καὶ πάντα μᾶλλον ἀνθ' ἐαυτοῦ. cf. 727. Sen. ep. 28. Initium est salutis notitia peccati. ep. 60. ideo difficulter ad sanitatem pervenimus, quia nos aegrotare nescimus. Cf. Jac. 1, 13. Μηδεὶς πειραζόμενος λεγέτω· ὅτι ἀπὸ θεοῦ πειράζομαι. Ὁ γὰρ θεὸς ἀπειραστός ἐστὶ κακῶν — — v. 14. Ἐκαστος δὲ πειράζεται ὑπὸ τῆς ἰδίας ἐπιθυμίας etc.

³⁹⁾ Rep. 521. — οὐκ ὀστράκον ἀν εἰη περιστροφὴ ἀλλὰ ψυχῆς περιεργωγὴ, ἐν νυκτερινῆς τινος ἡμέρας εἰς ἀληθινὴν τοῦ ὄντος λύσεως ἐπάνοδον· ἦν δὲ φιλοσοφίαν ἀληθῆ φησόμεν εἶναι. Rep. 7, 514. sq. 532b. μεταστροφή ἀπὸ τῶν σκιῶν ἐπὶ τὸ φῶς. Cf. Joh. 3, 19. Ἐγέννησαν οἱ ἄνθρωποι μᾶλλον τὸ σκότος ἢ τὸ φῶς. v. 21. ὁ δὲ ποιῶν τὴν ἀλήθειαν ἔρχεται πρὸς τὸ φῶς. Luc. act. 26, 18. — ἀνοιξάτω ὀφθαλμοὺς — ἐπιστρέψαι ἀπὸ σκότους εἰς φῶς. Cf. 2 Petr. 1, 19. 2 Cor. 3, 16. 1 Thess. 1, 9. Joh. 12, 46. 8, 12.

⁴⁰⁾ Rep. 7, 533. — τὸ τῆς ψυχῆς ὄμμα κατορθωρῶν μένον ἠρέμα ἔλκει καὶ ἀνάγει ἄνω. — — Rep. fin. — — τῆς ἄνω ὁδοῦ ἀεὶ ἐξόμεθα. Cf. Col. 3, 1. 2. — τὰ ἄνω ζητεῖτε — — τὰ ἄνω φρονεῖτε, μὴ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς.

⁴¹⁾ Rep. 2, 367b. Μὴ οὖν ἡμῖν ἐνδείξῃ τῷ λόγῳ, ὅτι δικαιοσύνη ἀδικίας κρείττων, ἀλλὰ τί ποιῶσα ἐκατέρα τὸν ἔχοντα αὐτὴ δι' αὐτὴν ἢ μὲν κακῶν, ἢ δὲ ἀγαθῶν ἐστὶ. Cf. 367c. 2, 358b. Gorg. 500a. τῶν ἀγαθῶν ἄρα ἕνεκα δεῖ καὶ τὰ ἄλλα καὶ τὰ ἡδέα πράττειν, ἀλλ' οὐ τὰ γὰρ ἀθὰ τῶν ἡδέων. 1 Petr. 5, 2. ποιμάνετε τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον τοῦ θεοῦ, ἐπισκοποῦντες μὴ ἀναγκαστῶς, ἀλλ' ἐκουσίως· μηδὲ ἀσχροκερδῶς, ἀλλὰ προθύμως. Cf. Matth. 5, 46—48. 1 Cor. 9, 17.

⁴²⁾ Phaed. 69b. Μὴ γὰρ οὐκ αὕτη ἢ ἡ ὀρθὴ πρὸς ἀρετὴν ἀλλαγὴ, ἡ δονὰς πρὸς ἡδονὰς — — καταλλάττεσθαι — μόνον τὸ νόμισμα ὀρθόν, ἀνθ' οὗ δεῖ ἅπαντα ταῦτα καταλλάττεσθαι, φρόνησις, καὶ τούτου μὲν πάντα καὶ μετὰ τούτου ἀνούμενά τε καὶ πιπρασκόμενα τῷ ὄντι ἢ. Legg. 5, 728. Πᾶς γὰρ ὁ ἐπὶ γῆς καὶ ὑπὸ γῆς χρυσὸς ἀρετῆς οὐκ ἀντάξιός. Rep. 7, 518. 21. 4, 431. Legg. 3, 589. Ἡ καλλίστη καὶ μεγίστη τῶν ξυμφωνιῶν — σοφία. Cf. Matth. 13, 46. ὁς εὐρῶν ἕνα πολύτιμον μαργαρίτην, ἀπελθὼν πέπρακε πάντα ὅσα εἶχε καὶ ἠγόρασεν αὐτόν. Cf. Sap. Sal. 6, 13.

rum externorum atque etiam vitae jacturam pro nihilo censet prae summo erga rationis leges obsequio esse habendam. (Crit. 48b. Οὐ τὸ ζῆν περι πλείστον ποιητέον, ἀλλὰ τὸ εὖ ζῆν. p. 51. Μήτε τὸ ζῆν μήτε ἄλλο μηδὲν πρὸ τοῦ δικαίου περι πλείονος ποιού. Gorg. 512d. e. Οὐ φιλοψυχτέον, ἀλλὰ περιτρέπειαντα περι τούτων τῶ θεῶ — τὸ ἐπὶ τούτῳ συνεπτεόν, τίν' ἂν τρόπον τούτων ὄν μέλλει χρόνον βιώσαι, ὡς ἄριστα βιώη.) ⁴³). Gravissimum vero malorum non poenis supplicis que cerni, sed ipsa vitiositate docet contineri. Ἔστι δ' ἡ μεγίστη (δίκη τῆς κακουργίας) τὸ ὁμοιοῦσθαι τοῖς οὖσι κακοῖς ἀνδράσιν. Legg. 5, 728. Theaet. 176c. ⁴⁴). —

Magna doctrinae Platonicae sublimitas etiam in comparatione felicitatis cum virtute et in constituendo utriusque pretio cernitur. Quo quis enim aptius ad procreandum animi concentum studuerit virtuti, tanto magis ejus animum sibi ipsum consonare dicit seque ipso acquiescere, quoque rectius sibimetipsi temperans officia sua praestiterit, eo majorem, quamvis a nemine laudetur neque ullum e rebus gestis percipiat commodum, illam animi existere tranquillitatem pacemque placidissimam, quae continuo exhilaret lactificetque sapientem et per se ipsam sufficiat ad bene beateque vivendum ⁴⁵). Interiorem enim probi improbique viri conditionem considerantibus nobis et in mentem utriusque nos insinuantibus fieri perspicuum, improbi animam non esse liberam, sed servitutis plenam ⁴⁶), cum omni auctoritate destituta ratio sit, ignavissima vero ac dementissima pars animi dominetur et ad illam fere delendam τὸ θυμοειδὲς vi sua juvet corroboretque τὸ ἐπιθυμητικόν. Quae qui passus sit, eum longe miserrima conditione esse demonstrat; ὑπὸ δὲ οἴστρου, inquit, αἰεὶ ἐλκομένη (ἡ ψυχὴ αὐτοῦ) βίη ταραχῆς καὶ μεταμελείας μεστὴ ἔσται (rep. 9, 577.). Quis enim miserius esse quam iste potest, qui turbulentis animi commotionibus agitationibusque concitatur, qui semper habet, quod metuat, speret, doleat neque unquam est odio et ira poenitentiaque vacuus. Hominem contra virtute praeditum seque ipsum ad rationis leges moderantem judicat liberum ⁴⁷)

⁴³) Cf. Apol. 28d. Eodem loco Socratem facit ita loquentem in judicio: — — πείσομαι δὲ μᾶλλον τῶ θεῶ ἢ ὑμῖν etc. Rep. 2, 361. Cf. act. ap. 4, 19. — Εἰ δίκαιόν ἐστιν ἐνώπιον τοῦ θεοῦ, ὑμῶν ἀκούειν μᾶλλον ἢ τοῦ θεοῦ, κρίνατε. 5, 29. — Πειθαρχεῖν δεῖ θεῶ μᾶλλον ἢ ἀνθρώποις. Matth. 10, 28. Καὶ μὴ φοβείσθε ἀπὸ τῶν ἀποκτείνοντων τὸ σῶμα, τὴν δὲ ψυχὴν μὴ δυναμένων ἀποκτείνειν. Cf. 2 Cor. 6, 4—10. Ceterum, dumne recedamus de virtute, obtemperandum nobis esse docet magistratibus. Cf. Crito. — Rom. 13, 1—7. 1 Petr. 2, 13. 14.

⁴⁴) Cf. Legg. 3, 689d. Menex. 246d. e. Legg. 10, 904. fin. Phaed. 83d. Ἐκάστη ἡδονὴ — — ποιῆσωματοειδῆ (τὴν ψυχὴν). Gal. 6, 7. — Ὁ γὰρ ἐὰν σπειρῇ ἄνθρωπος, τοῦτο καὶ θερίσει.

⁴⁵) Phileb. 63e. Ἄλλας τε ἡδονὰς ἀληθεῖς καὶ καθαρὰς σχεδὸν οἰκείας ἡμῖν νόμιζε, καὶ πρὸς ταύταις μεθ' ὑγιείας καὶ τοῦ σωφρονεῖν, καὶ δὴ καὶ ξυμπάσης ἀρετῆς ὀπόσαι καθάπερ θεοῦ ὀπαδοὶ γιγνόμεναι αὐτῇ ξυνακολουθοῦσι πάντη, ταύτας μίγνυ. Cf. Rep. 9, 586b. Gorg. 507b. Legg. 3, 689. Hebr. 13, 18. πεποιθήμεν γὰρ, ὅτι καλὴν συνείδησιν ἔχομεν, ἐν πᾶσι καλῶς θέλοντες ἀναστρέφεσθαι. Act. 24, 16. 2 Cor. 1, 12. Matth. 5, 4—10. 1 Joh. 3, 18. Καὶ ἐν τούτῳ γινώσκωμεν, ὅτι ἐκ τῆς ἀληθείας ἐσμὲν, καὶ ἔμπροσθεν αὐτοῦ πείσομεν τὰς καρδίας ἡμῶν etc.

⁴⁶) Rep. 9, 579a. sq. ἔστιν ἄρα τῇ ἀληθείᾳ — ὁ τῶ ὄντι τύραννος (improbus) τῶ ὄντι δοῦλος. Rep. 9, 589. Εἰ δὲ τὸ ἐαυτοῦ θειότατον ὑπὸ τῶ ἀθεωτάτῳ καὶ μισροτάτῳ δουλοῦται καὶ μηδὲν ἐλέει, οὐκ ἄρα ἀθλιός ἐστιν; Legg. 863e. Phaed. 83d. Cf. Joh. 8, 34. — πᾶς ὁ ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν δοῦλός ἐστι τῆς ἁμαρτίας. Cf. Rom. 6, 16. 19.

⁴⁷) Δουλοπρεπὲς ἡ κακία, ἐλευθεροπρεπὲς δὲ ἡ ἀρετή. Alcib. I., cf. Menex. 247c. Rom. 8, 2. Ὁ γὰρ νόμος τοῦ πνεύματος τῆς ζωῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ ἐλευθέρωσε με ἀπὸ τοῦ νόμου τῆς ἁμαρτίας καὶ τοῦ θανάτου. — Hac de re aliter sentire videtur Legg. 6, 662e. ὁ μὴ δουλεύσας οὐδ' ἂν δεσπότης γένοιτο ἄξιος ἐπαίνου. ep. 8, 354e. μετρία δὲ ἡ θεῶ δουλεία. Sen. vit. beat. 15. Deo parere libertas. Cf. 1 Cor. 7, 22. Ὁ γὰρ ἐν κυρίῳ κληθεὶς δοῦλος, ἀπελεύθερος κυρίου ἐστίν etc. Eph. 6, 6.

esse ejusque conditionem longe quam improbi beatiorum ⁴⁸). Neque enim angere eum timoribus neque libidinibus esse obnoxium neque ullo taedio exedi. Nihil tamen, dixerit quispiam, in vita accidere crebrius solet, quam ut improbis bene fiat, probi iniqua premantur vitae sorte. Atqui non ad fortunae speciem esse felicitatem metiendam perspicue nos edocet Plato. Improbos enim, ait, felices videri, quamvis revera non sint ⁴⁹), bonaque externa longe minoris quam interna, quae sola virtute acquirantur, aestimanda esse ⁵⁰). Sapiens vero quamquam ab omni voluptate alienam non expetat vitam, tamen hoc tantum consilio expetendas censere res externas, ut animi ille augeatur contentus homoque internus rectius sentire incipiat ⁵²). Quum vero opum affluentia fortunaeque munera saepe obsint ⁵¹) ad veram assequendam virtutem, contra inopia salutarem ad emendandos mores habeat vim ⁵³), miseriae fontem nequaquam inopiam illam esse posse ⁵⁴). Sic igitur, inquit, de eo, in quo virtus inest, existimari debet, sive paupertati sive morbis sive quibusvis aliis, quae mala videntur, obnoxius est, huic demum et viventi et mortuo ad bonum aliquid ista conducere ⁵⁵). Licet omnes undique in eum terrores periculaque impendant omnia, aequo tamen animo casus adversos perferet sapiens. Licet aliorum injuriis valde prematur, nihilominus sibi constabit et aequo animo vel colaphum, infamem plagam, si repellere nequeat, tolerabit; nihil enim est, quod eum possit vere miserum reddere, si revera honestus sit virtutemque exerceat ⁵⁶). Neque enim unquam a numine divino negliguntur ⁵⁷), imo vero cari sunt ei ab eoque juvantur, qui pie sancteque vivunt ⁵⁸).

⁴⁸) Rep. 9, 580 — 88. 91.

⁴⁹) Legg. 10, 899. fin. — ἀληθεία μὲν οὐκ εὐδαιμόνες, δόξαις δὲ εὐδαιμονιζόμεναι. Cf. Legg. 2, 661. —

⁵⁰) Rep. 6, 485. Cf. Luc. 12, 33. Matth. 6, 20. Θησαυρίζετε δὲ ὑμῖν θησαυρούς ἐν οὐρανῷ, ὅπου οὐτὲ σὴς οὐτὲ βροῦσις ἀφανίζει, καὶ ὅπου κλέπται οὐ διορύσσουσιν οὐδὲ λήπτουσιν. Cf. Matth. 16, 26.

⁵¹) Rep. 8, 555. Πλοῦτον τιμᾶν καὶ σωφροσύνην — ἀδύνατον, ἀλλ' ἀνάγκη τοῦ ἐτέρου ἀμελεῖν ἢ τοῦ ἐτέρου. Cf. Luc. 16, 13. Οὐ δύνασθε θεῶν δουλεύειν καὶ μαμμωνᾷ. — Legg. 5, 742. Πλοῦσιους δ' αὖ σφόδρα καὶ ἀγαθοὺς ἀδύνατον. Matth. 19, 23. ὅτι δυσκόλως πλούσιος εἰσελεύσεται εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν. cf. v. 24. —

⁵²) Rep. 9, 591. τῶν μὲν (τιμῶν) μεθέξει καὶ γέσεται ἐκὼν ἃς ἠγῆται ἀμείνω αὐτὸν ποιήσειν. Phaedr. 279. — — πλούσιον δὲ νομίζοιμι τὸν σοφὸν — τὸ δὲ χρυσῶν πλήθος εἴη μοι ὅσον μήτε φέρειν μήτε ἄγειν δύναται ἄλλος ἢ σόφρων. Tim. 81 e. μία δὲ σωτηρία πρὸς ἅμφω μήτε τὴν ψυχὴν ἄνευ σώματος κινεῖν μήτε σῶμα ἄνευ ψυχῆς. Rep. 591 b. Ἄλλ' αἰετὴν ἐν τῷ σώματι ἀρμονίαν τῆς ἐν τῇ ψυχῇ ἕνεκα ξυμφωνίας ἀρμολόμενος φαίνεται.

⁵³) Rep. 10, 613. Cf. Jac. 2, 5. οὐχ ὁ θεὸς ἐξελέξατο τοὺς πτωχοὺς τοῦ κόσμου, πλούσιους ἐν πίστει, καὶ κληρονόμους τῆς βασιλείας, ἧς ἐπηγγέλατο τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτόν; Cf. Apoc. 3, 17. et not. 24. supra.

⁵⁴) Menex. 247. 48.

⁵⁵) Rep. 10, 613. Cf. Rom. 8, 28. Οἴδαμεν, ὅτι τοῖς ἀγαπῶσι τὸν θεὸν πάντα συνεργεῖ εἰς ἀγαθόν etc. Rep. 1. 1. — — οἱ δὲ τῇ ἀληθείᾳ δρομικοὶ εἰς τέλος ἐλθόντες τὰ τε ἄθλα λαμβάνουσι καὶ στεφανοῦνται. Cf. 1 Cor. 9, 24. — οἱ ἐν σταδίῳ τρέχοντες πάντες μὲν τρέχουσιν, εἰς δὲ λαμβάνει τὸ βραβεῖον — 2 Tim. 4, 7. Τὸν ἀγῶνα τὸν καλὸν ἠγωνίσαι, τὸν δρόμον τετέλεκα, τὴν πίστιν τετήρηκα. Phil. 3, 14. Τοῖς δὲ ἔμπροσθεν ἐπετεινόμενος, κατὰ σκοπὸν διώκω ἐπὶ τὸ βραβεῖον τῆς ἄνω κλήσεως etc.

⁵⁶) Gorg. 527. fin. Cf. Hebr. 11, 37. Crito. Οὐτὲ ἀνταδικεῖν δεῖ οὐτὲ κακῶς ποιεῖν οὐδένα ἀνθρώπων, οὐτ' ἀν' ὀτιοῦν πάσῃ ὑπ' αὐτῶν. Gorg. 479. αἰετὸν ἀδικοῦντα τοῦ ἀδικουμένου ἀθλιώτερον εἶναι. Rep. 4, 445. Rom. 12, 17. Μηδενὶ κακὸν ἀντὶ κακοῦ ἀποδιδόντες. Col. 3, 13. — χαριζόμενοι ἑαυτοῖς. — Cf. 1 Thess. 5, 15. Matth. 18, 21. 22.

⁵⁷) Legg. 10, 905. Apol. 41.

Quamvis autem in hac vita virtuti non semper aequabilis contingit felicitatis externae portio, post exitum tamen vitae justos manent *νηκητήρια* illa, honestae vitae praemia ac munera; improbis contra, etsi prospera fortuna hic usi sint, summa imminet miseria ⁵⁹). Huc spectat iudicium illud divinum, quod ex antiquis fabulis Plato descripsit. Quo in iudicio justi quidem hac vita defuncti dicuntur iudicium aeternorum jussu ad dextram in coelum ascendere, injusti vero ad sinistram in imam terram descendere ⁶⁰), et hi quidem dolentes omnique auxilio destituti incedere ⁶¹), contra illi, errore, inscitia, metu ceterisque malis humanis liberati ⁶²) per subsequens omne tempus cum diis habitare ⁶³) in sedibus amoenis ac divinis narrantur. Proinde id maxime dum in terris simus spectandum nobis esse praecipit, ut et ipsi integra sanaque mente coram iudice apparituri simus et alios quantum possimus cohortemur ad consulendum verae suae salutis ⁶⁴), ὥστε ἀρετῆς καὶ φρονήσεως ἐν τῷ βίῳ μετασχεῖν (Gorg. 526.). Καλὸν γὰρ τὸ ἀθλοῦν ⁶⁵) καὶ ἡ ἐλπίς μεγάλη (Phaed. 114.); nihil enim celare deum unquam nos posse nec iudicium effugere illud extremum ⁶⁶); οὐ γὰρ ἀμεληθήσει ποτὲ ὑπ' αὐτῆς (δικῆς)· οὐχ οὕτω μικρὸς ὢν δύσει κατὰ τὸ τῆς γῆς βᾶθος, οὐδ' ὑψηλὸς γενόμενος εἰς τὸν οὐρανὸν ἀναπτήσει, τίσεις δὲ αὐτῶν τὴν προσήκουσαν τιμωρίαν εἴτ' ἐνθάδε μένων εἴτε καὶ ἐν Αἴδου διαπορευθεὶς τόπον. Legg. 10, 905. Rep. 10, 612. Itaque praeceteris omnibus id spectandum nobis esse, ut boni non videamur, sed simus; ἐσχάτη γὰρ ἀδι-

⁵⁹) Phileb. 39. Δίκαιος ἀνὴρ καὶ εὐσεβὴς καὶ ἀγαθὸς πάντως ἀρ' οὐ θεοφιλὴς ἐστίν; Legg. 4, 716. ὁ μὲν σώφρων θεῶν φίλος· ὁμοίος γάρ. Legg. 5, 739. παῖδες θεῶν vocantur justi. Cf. 1 Joh. 3, 1. Ποταπὴν ἀγάπην δέδωκεν ἡμῖν ὁ πατήρ, ἵνα τέκνα θεοῦ κληθῶμεν. Joh. 15, 14. ὑμεῖς φίλοι μου ἐστέ, ἐὰν ποιῆτε ὅσα ἐγὼ ἐντέλλομαι ὑμῖν.

⁶⁰) Rep. 615—21. Legg. 10, 904. sqq. 12, 959b. — διδόναι λόγον — Cf. Rom. 14, 12. Matth. 12, 36. — ὅτι πᾶν ῥῆμα ἀργόν, ὃ ἐὰν λαλήσωσιν οἱ ἄνθρωποι, ἀποδώσουσι περὶ αὐτοῦ λόγον ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως. Phaed. 63c. ἀλλ' εὐελπίς εἰμι εἶναι τι τοῖς τετελευτηκόσι καὶ πολὺ ἄμεινον τοῖς ἀγαθοῖς ἢ τοῖς κακοῖς. 64. 107d. οὐδὲν ἄλλο ἔχουσα εἰς Αἴδου ἢ ψυχὴ ἔρχεται πλὴν τῆς παιδείας τε καὶ τροφῆς, ἃ δὴ καὶ λέγεται μέγιστα ὠφελεῖν ἢ βλάπτειν τὸν τελευτήσαντα εὐθύς ἐν ἀρχῇ τῆς ἐκείσε πορείας. Phaed. 113d. e. τῶν τε ἀδικημάτων διδόντες δίκας ἀπολύονται, εἴ τίς τι ἠδίκηκε, τῶν τε εὐεργεσιῶν τιμὰς φέρονται κατὰ τὴν ἀξίαν ἕκαστος.

⁶¹) Rep. 10, 614c. Cf. Matth. 25, 33. — καὶ στήσει τὰ μὲν πρόβατα ἐκ δεξιῶν αὐτοῦ, τὰ δὲ ἐρίφια ἐξ ἐξωνύμων.

⁶²) Phaed. 144a. ἐνταῦθα βοῶσί τε καὶ κλοῦσιν, — καλέσαντες δ' ἵκετεύουσι καὶ δέονται etc. Rep. 10, 614. — ὀδυρομένας τε καὶ κλαούσας. Cf. Matth. 13, 42. — ἐκεῖ ἔσται ὁ κλυθμός καὶ ὁ βρονθός τῶν ὀδόντων

⁶³) Phaedr. 81a. Cf. apoc. 21, 4. καὶ ἐξαλείψει πᾶν δάκρυον ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν, καὶ ὁ θάνατος οὐκ ἔσται ἔτι, οὔτε πένθος οὔτε κραυγὴ οὔτε πόνος οὐκ ἔσται ἔτι.

⁶⁴) Phaed. 69c. Matth. 22, 14. Πολλοὶ γὰρ εἰσι κλητοί, ὀλίγοι δὲ ἐκλεκτοί.

⁶⁵) Gorg. 526. — καὶ σκοπῶ ὅπως ἀποφανοῦμαι τῷ κριτῇ ὡς ὑγιεστάτην τὴν ψυχὴν· χαίρειν οὖν ἕσας τὰς τιμὰς τὰς τῶν πολλῶν ἀνθρώπων τὴν ἀλήθειαν σκοπῶν, πειράσομαι τῷ ὄντι, ὡς ἂν δύνωμαι βέλτιστος ὢν καὶ ζῆν καὶ ἐπειδὴν ἀποθνήσκω ἀποθνήσκω· παρακαλῶ δὲ καὶ τοὺς ἄλλους πάντας ἀνθρώπους, καθ' ὅσον δύναμαι· καὶ δὴ καὶ σε ἀντιπαρακαλῶ ἐπὶ τοῦτον τὸν βίον καὶ τὸν ἀγῶνα τοῦτον. Phaed. 107c. ἐπιμελείας δὲ δεῖται οὐχ ὑπὲρ τοῦ χρόνου τούτου μόνον, ἐν ᾧ καλοῦμεν τὸ ζῆν, ἀλλ' ὑπὲρ τοῦ παντός etc. Apol. 30. μήτε σωματικῶν ἐπιμελεῖσθαι μήτε χρημάτων πρότερον μηδὲ οὕτω σφόδρα ὡς τῆς ψυχῆς, ὅπως ὡς ἀρίστη ἔσται. Cf. Matth. 16, 26. Τί γὰρ ὠφελεῖται ἄνθρωπος, ἐὰν τὸν κόσμον ὅλον κερδήσῃ, τὴν δὲ ψυχὴν αὐτοῦ ζημιωθῆ; —

⁶⁶) Cf. 1 Petr. 5, 4. — Κομεισθε τὸν ἀμαράντινον τῆς δόξης στέφανον. Cf. 1, 4. Hebr. 12, 1.

⁶⁷) Cf. Psalm. 139, 7. sqq. locum illum eximium, qui cuncta Deo patere maxima gravitate asseverat. Cf. Legg. 10, 901. Psalm. 94, 6.

κία δοξῆν δίκαιον μὴ ὄντα. Rep. 2, 361. Theaet. 176. — „Totius enim injustitiae nulla capitalior est quam eorum, qui tum, quum maxime fallunt, id agunt, ut viri boni esse videantur.“ (Cic. de offic. 1, 13.)

Jam reliquum est ut examinemus, quo modo morum praecepta apud Platonem cohaereant cum doctrina de deo tradita. Mentem humanam non esse terrestrem plantam, sed coelestem diserte ille docet; ⁶⁷⁾ a coelo enim repetit animorum origines. Ex alia quadam divinatorique vita ⁶⁸⁾, in qua deorum choris interfuerint beatissimeque vixerint, in terram delapsi et in haec corpora migrasse dicuntur. Idque est maximi hac in re momenti ac ponderis, quod statuit Plato, mundi cujusdam perfecti παράδειγμα ad ideas illas pulcri, justique τῶ νῶ concepisse deum mentique habuisse propositum, quum conderet mundum ⁶⁹⁾. Illae quidem ideae, τὰ ὄντως ὄντα, ei sunt τύποι veritatis i. e. ejus, quod idem est perpetuo neque fit vel nascitur neque unquam esse desinit; ipse autem deus ei veritatis παράδειγμα i. e. omnium quae vere sunt, ipsius pulcri boni justique exemplar nobis imitandum, quin ipsa veritas est ⁷⁰⁾. Jam vero hominum animabus, antequam terrenum hoc corpus induerent, deum dicit informasse reconditas illas ideas, quarum ad similitudinem effinxerit mundum hunc ὁρατόν. Obscuratas quidem illas esse corporis contagione et commercio, excitari tamen posse accurata mundi divini contemplatione. Conspicuum igitur mundum tanquam divinae naturae imaginem (ἄγαλμα) spectandum nobis imitandumque propositum esse a deo, ut ad concentum ordinemque ejus animum nostrum componamus. Quicquid igitur animo insit divinitatis et excitandum nobis et perficiendum esse veritatemque agendo vivendoque probandam. Nulla enim re propius accedi ad deum posse, quam ideas illas resuscitando animumque ad earum perfectam speciem recolendo ac perficiendo ⁷¹⁾. Ita quam fieri possit maxime in pristinam animas restitui conditionem et quasi domum redire suam quamque amiserint beatitudinem recuperare (Pol. 273 d.). Amplissimum autem hoc munus in priorem statum eas restituendi traditum esse philosophiae coelestique illi amori. Quum vero sola mens idearum compos sit divinarum, nulla re impeditam illam debere secum reputare et cognoscere id quod per se et propter se ipsum bonum sit, quo facilius per amorem ⁷²⁾ contendat ad majorem perfectionem, ad ipsius pulcri fontem accedat (Symp. 211 c. d. e.), et quoad ejus fieri possit similior deo evadat. Quo enim quis magis ad ideas illas agendo vivendoque accesserit, eo propius eum a naturae suae divinae perfectione abesse. Hinc efficitur illud Platonis placitorum longe celebratissimum, quod ubique praedicatur quodque continetur τῇ θεῷ ὁμοίωσει ⁷³⁾. Διὸ καὶ πειρᾶσθαι χρὴ ἐνθένδε ἐκείσε φεύγειν ὅτι τάχιστα· φωνή δὲ ὁμοίωσις θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν· ὁμοίωσις δὲ δίκαιον καὶ ὄσιον μετὰ φρονήσεως γενέσθαι.

⁶⁷⁾ Tim. 90 a. — πρὸς δὲ τὴν ἐν οὐρανῷ ξυγγένειαν ἀπὸ γῆς ἡμᾶς ἀφρῆν ὡς ὄντας φυτόν οὐκ ἐγγεῖον ἀλλ' οὐράνιον. — Cic. de legg. 1, 7. Quid est non dicam in homine, sed in omni coelo atque terra ratione divinius. c. 8. propter ingeneratam homini a deo rationem est aliqua ei cum deo similitudo, cognatio etc. Legg. 5, 727 d. Genes. 1, 27. Act. 17, 28. — Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν.

⁶⁸⁾ Phaedr. 250. Legg. 10, 896. Phileb. 16 c. καὶ οἱ μὲν παλαιοὶ κρείττονες ἡμῶν καὶ ἐγγυτέρω θεῶν οὐκ ὄντες. Cf. Genes. 3.

⁶⁹⁾ Tim. 28.

⁷⁰⁾ Cf. Heusde init. philos. Plat. II. 3. p. 115. — Joh. 14, 6. Ἐγὼ εἰμι ἡ ὁδὸς καὶ ἡ ἀλήθεια καὶ ἡ ζωὴ. cf. v. 17.

⁷¹⁾ Rep. 6, 500. 501.

⁷²⁾ Cf. 2 Joh. 4. 1 Joh. 5, 2. 3. Joh. 15, 10. 1 Joh. 4, 8. Ὁ μὴ ἀγαπῶν οὐκ ἔγνω τὸν θεόν· ὅτι ὁ θεὸς ἀγάπη ἐστίν.

⁷³⁾ Theaet. 176b. θεὸς οὐδαμῆ οὐδαμῶς ἕδικος, ἀλλ' ὡς οἶόντε δικαιοτάτος καὶ οὐκ ἔστιν αὐτῷ ὁμοί-

Infinitam tamen esse dicit hominis ad veritatem progressionem; appropinquare enim eum ⁷⁴⁾, non pervenire ad veritatem; soli deo convenire sapientiam (Phaedr. 278 d. τὸ μὲν σοφὸν εἶναι — θεῶν μόνον πρόπειν), hominibus sapientiae studium esse proprium neque vero summam licere praestantiam adsequi. Proinde deum esse quasi mensuram statuit, ad quam nostros in virtute et sapientia progressus metiamur ⁷⁵⁾. Quamta vero haec Platonis sententia verecundiam nobis modestiamque praecipiat, non est quod pluribus explicemus. Neque postulasse videtur, quod plurimorum vires excedat. Pro viribus enim appetendam esse dei similitudinem ostendit. Hinc licet etiam perspicere, quantum Platoni, quod deum esse credimus ⁷⁶⁾ eumque non modo universo hominum generi, verum etiam singulis quibusque perpetuo consulere et providere persuasum habemus, ad virtutem videatur valere sapientiamque comparandam.

Quodsi primum Platonis et Christi de moribus doctrinam universe spectamus, utriusque rationem non arte conclusam esse nobis apparet, sed institutione quadam ad puram intamintamque veritatem percipiendam virtutemque assequendam contineri. Nihilominus apud utrumque occurrunt praecepta quaedam primaria, quae amplecti reliqua omnia videantur plurimumque ponderis ac momenti habeant ad agnoscendam majestatem divinam, ad spem vitae futurae confirmandam, tum vero etiam ad hominem erudiendum et excolendum. Doctrinam Christianam non philosophicam illam quidem esse, tam simplicem tamen et puram, ut philosophicam facile suscipiat rationem, dubitari nequit. Quanquam enim non apparent singulares hujus doctrinae partes, secum invicem tamen sunt praecepta quaedam tam arcte conjuncta, ut intelligi nisi explorata universae doctrinae vi et indole haudquaquam possint. Quo vero intendant omnia utriusque doctrinae dogmata investigantibus nullum nobis visum est aptius, ad quod omnia referantur, quam hoc ut summa animi praestantia et beatitudo dei similitudine petatur, ex qua velut e fonte manant singulae quaeque virtutes. Nihil enim utriusque doctrinae auctores menti informari posse statuerunt perfectius, beneficentius, sanctius omnibusque numeris absolutius ⁷⁷⁾ quam summam divini numinis perfectionem, qualem homines imitari quidem, verum assequi non possint. A mundo scilicet atque homine deum aequae distinxisse videtur Plato atque Christus, quo unice effici potuit, ut ad divinae naturae imitationem nobis dei imago proponeretur. Consentire nobis porro videntur in eo, quod divinam hominis naturam atque indolem ad virtutem percipiendam excitari oportere animique fa-

ότερον οὐδὲν ἢ ὁς ἂν ἡμῶν αὐτῶν γένηται ὅτι δικαιοτάτος etc. Rep. 6, 500. θεῶν δὲ καὶ κοσμοῦ ὃ γε φιλόσοφος ὁμιλῶν κόσμος τε καὶ θεῖος εἰς τὸ δυνατὸν ἀνθρώπῳ γίγνεται. Cic. ac. qu. 4, 45. Virtus hominem jungit deo. Tusc. 5, 25. — haec tractanti animo — existit illa a deo Delphis praecepta cognitio, ut ipsa se mens agnoscat conjunctamque cum divina mente se sentiat, ex quo insatiabili gaudio completur. Cf. Matth. 5, 48. Ἔσθε οὖν ὑμεῖς τέλειοι, ὥσπερ ὁ πατήρ ὑμῶν ἐν τοῖς οὐρανοῖς τέλειός ἐστι. Eph. 4, 23. 24. 2 Petr. 1, 3. 4. Luc. 6, 36. 1 Petr. 1, 16. sq. 3, 13. 1 Joh. 4, 7. 8. Eph. 5, 1. — 1 Joh. 3, 9. sq.

⁷⁴⁾ Phaed. 66. Rep. 514. sq. Cf. Phil. 3, 12. Οὐχ ὅτι ἤδη ἔλαβον, ἢ ἤδη τετέλειωμαι, διάκω δὲ εἰ καταλάβω, ἐφ' ᾧ καὶ κατέληφθην ὑπὸ Χριστοῦ. cf. c. 1, 9. 1 Joh. 1, 8. Phil. 3, 12.

⁷⁵⁾ Prorsus alienum ab hac philosophandi ratione fuit illud Protagorae placitum: omnium rerum mensuram hominem esse.

⁷⁶⁾ Legg. 10, 908. — οἷς δ' ἂν πρὸς τῇ δόξῃ τῇ θεῶν ἔρημα εἶναι πάντα ἀκράτειαί τε ἡδονῶν καὶ λυπῶν προςπέσωσι etc. Cf. 9, 863 e. Theaet. 176 e. Legg. 899. 900. Tim. 30. Rep. 8, 555. 589. Cf. Hebr. 11, 6. Χωρὶς δὲ πίστεως ἀδύνατον εὐαρεστῆσαι. Πιστεῦσαι γὰρ δεῖ τὸν προσερχόμενον τῷ θεῷ, ὅτι ἐστὶ, καὶ τοῖς ἐκζητοῦσιν αὐτὸν μισθαποδότης γίνεται. Rom. 14, 22. 23. Luc. 16, 13. — Τὸ ἄθεον a deo aversum miserrimum Plato contendit esse. Alc. I. 134 c.

⁷⁷⁾ Rep. 2, 379. usque ad fin.

cultatibus ita utendum esse docuerunt, ut, quicquid divinitatis nobis inesset, ad vitam recte instituendam adhiberemus. *Eis τὴν τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέαν* mentis oculo conspiciendam, qua numinis divini vis ac natura manifesto nobis appareat ⁷⁸⁾, ubique nos convertit Platonis philosophia praecipiendo, ut ad hanc boni perfectique ideam, cujus in deo causa sit, vitam instituamus. Deus ipse secundum Platonem voluit vel esse homines vel fieri optimos (Tim. 29.) eaque de causa ipsis ideam boni ingeneravit. Itaque dubitandum non est, quin Plato, etsi non diserte hoc docuerit, hominem obsequi divinae voluntati voluerit ad ideam boni se conformantem. Quo magis enim ad ideam boni imitandam trahimur a deo insitam omnibus, quoque meliores inde evadimus, eo propius non modo ad similitudinem dei accedere nos judicat ille, verum etiam voluntati obtemperare divinae ⁷⁹⁾. Eadem ratione in doctrina Christiana deus tanquam cujusvis boni ipsiusque legis, quae viget in nobis, auctor omnisque perfectionis exemplar, quod imitemur, proponitur. Itemque obediendum esse legi morali nobismet ipsis insitae, utpote quae cum divina voluntate consentiat, luculenter et diserte docent sacrae literae ⁸⁰⁾. Multo magis etiam in eo cum Platone concinere videntur interpretes doctrinae Christianae, quod bonum quodvis per se et propter se ipsum expetendum esse statuunt. At vero si quis quaerat, num Christus eandem, quam Plato, appeti voluerit dei similitudinem, infitari non possumus, Graecum philosophum a nostrae religionis auctore dissentire in eo, quod non modo animi ac voluntatis integritatem sanctitatemque, sed etiam mentis ac rationis perfectionem et rerum divinarum scientiam postulavit, et pro viribus appetendam esse hanc veri cognitionem ingeniique culturam, si quidem assequi dei similitudinem volumus, existimavit, id quod minus studiose commendat et urget doctrina Christiana; tamen haec quoque rationis et ingenii facultatem excolendam pro viribus esse statuit, quin etiam hoc ea in re postulat, ut quod cuique demandatum sit animi bonum, illud quantum possit quasi fenere augeat et ad salutem suam aliorumque provehendam bene impendat ⁸¹⁾. Neque hoc negligendum est in hac comparatione, quod Platonis de vero philosophia praecipue destinata fuit ad acuendum informandumque ingenium eorum, qui in litteris versarentur atque republica, contra Christi doctrina ad erudiendos omnes per orbem terrarum cujusvis generis homines tradita est. Accedit, quod recta divinarum rerum cognitio mirum quantum ad morum nostrorum perfectionem confert stabiliendaque ea est certis rationibus et penitus intellectis, si satis efficacem eam velimus esse ad procreandam augendamque honestatem ⁸²⁾. Perfecta enim virtus a veri cognitione non magis potest disjungi quam ab improbitate ignorantia. (Theact. 176. ἡ μὲν γὰρ τούτου γνώσις σοφία καὶ ἀρετὴ ἀληθινή, ἡ δὲ ἄγνοια ἀμαθία

⁷⁸⁾ Sen. 41. Prope est a te deus, tecum est, intus est. — Sacer intra nos spiritus sedet, malorum bonorumque nostrorum observator et custos etc. Mem. Socr. 4, 3. 14. Καὶ ἀνθρώπων γε ψυχῇ, εἴπερ τι καὶ ἄλλο τῶν ἀνθρωπίνων, τοῦ θείου μετέχει, ὅτι μὲν γὰρ βασιλεύει ἐν ἡμῖν, φανερόν. Diog. Laert. 7, 53. 88. ὁ ὁρθὸς λόγος διὰ πάντων ἐρχόμενος, ὁ αὐτὸς ἐν τῷ Διὶ. 1, 38. σοφίαν καὶ τὴν φιλοσοφίαν καλεῖ ἔρξιν οὐσαν τῆς θείας σοφίας.

⁷⁹⁾ Apol. 29. — οὐ μὴ παύσομαι φιλοσοφῶν καὶ ὑμῖν παρακλειόμενός τε καὶ ἐνδεινύμενος, ὅτω ἂν αἰεὶ ἐντυγχάω ὑμῖν — 30. ταῦτα γὰρ κελεύει ὁ θεὸς, εὖ ἴστε καὶ ἐγὼ οἶμαι οὐδὲν ποῦ ὑμῖν μείζον ἀγαθὸν γενέσθαι ἐν τῇ πόλει ἢ τῇν ἐμὴν τῷ θεῷ ὑπηρεσίαν. Cf. legg. 1, 624. vid. supr. not. 47. Cf. Alcib. I. 133b. Ἐχομεν οὖν εἰπεῖν, ὅτι ἐστὶ τῆς ψυχῆς νοερώτερον ἢ τοῦτο περὶ ὃ τὸ εἶδέναι τε καὶ φρονεῖν ἐστίν; οὐκ ἔχομεν. Τῷ θεῷ ἄρα τοῦτ' ἔοικεν αὐτῆς, καὶ τις εἰς τοῦτο βλέπων καὶ πᾶν τὸ θεῖον γνοῦς θεὸν τε καὶ φρόνησιν, οὕτω καὶ ἑαυτὸν ἂν γνοίη μάλιστα. Diog. Laert. 3, 45. Δικαιοσύνην θεοῦ νόμον ὑπελάμβανεν.

⁸⁰⁾ Cf. Rom. 2, 14. 15.

⁸¹⁾ Cf. 1 Cor. 12, 14. usque ad fin. Rom. 12, 4. sqq. Eph. 4, 15. 16. sqq.

⁸²⁾ Cf. Col. 1, 9. — αἰτιούμενοι, ἵνα πληρωθῆτε τὴν ἐπίγνωσιν τοῦ θελήματος αὐτοῦ ἐν πάσῃ σοφίᾳ

καὶ κακία ἐναργής.)⁸³⁾ Platoni igitur, si finem philosophiae moralis respicimus, nihil aliud cognitio veri fuisse videtur, nisi subsidium adjumentumque ad virtutem assequendam. Distincte enim dicit, ignorantiam, ex qua morum pravitas proficiscatur⁸⁴⁾, in maximis gravissimisque rebus (περὶ τὰ μέγιστα τῶν ἀνθρωπίνων πραγμάτων ἀμαθίαν) quam maxime in civitate esse auferendam (ὅτι μάλιστα ἐξαιρεῖν). de legg. 3, 688. Largius autem et explicatius ea de re sententiam suam exprompsit in legg. 689., ubi τοῦτο μὲν τοῖνυν, inquit, οὕτω κείσθω δεδομένον καὶ λεγόμενον, ὡς τοῖς ταῦτ' ἀμαθαίνουσι τῶν πολιτῶν οὐδὲν ἐπιτρεπτόν ἀρχῆς ἐχόμενον καὶ ὡς ἀμαθείαν ὀνειδιστέον, ἂν καὶ πάνν λογιστικοί τε ᾧσι καὶ πάντα τὰ κοινὰ καὶ ὅσα πρὸς τάχος τῆς ψυχῆς περνεύοντα διαπεπονημένοι ἅπαντα, τοὺς δὲ τούναντίον ἔχοντας τούτων ὡς σοφοὺς τε προσρητέον, ἂν καὶ τὸ λεγόμενον μήτε γράμματα μήτε νεῖν ἐπιστῶνται καὶ τὰς ἀρχὰς δοτέον ὡς ξυφοροῖ. Hinc extremam esse inscitiam judicat meliora quidem videre, sed voluptate aut dolore fractum deteriora sequi (Legg. 689a. cf. 902.). A Christiana religione igitur dissentire in eo Plato videtur, quod absolutam nobis perfectionem magis proposuit, Christus vero relativam, cujus omnes homines, dummodo velint, participes fieri possunt. Hanc autem diversitatem e diverso, quod uterque amplexus est, proposito ac fine esse profectam liquet. — Sequitur jam, ut contemplemur, quomodo utraque doctrina dei similitudinem summo rationis imperio viriumque omnium veluti concentu ponat contineri. Sacrae litterae pluribus in locis singulas, quas divino numini tribuunt, virtutes uti fines bonorum expetendas nobis esse praecipiant⁸⁵⁾. Ad assequendas autem virtutes illas voluntatem ab affectuum cupiditatumque imperio liberemus et quod rationis leges fieri jubeant, omnibus libidinum irritamentis ac velut lenociniis praeferamus necesse est. Pariter apud Platonem dei similitudo refertur ad justitiam, in qua, ut supra vidimus, rationis imperium cernitur. Ceterum tripartitam humanae naturae divisionem aequae in sacris libris et in Platonis philosophia reperimus. Virtutem aequae ac Plato collocant in dominatione, quam habet ratio in libidinem atque in alios animi non rectos impetus. Quemadmodum Plato docuit τὸ θυμοειδές non modo rationis imperio subjiciendum esse, verum etiam ad impugnandas libidines rationi nos adjumento esse debere, sic etiam sacrae litterae postulant, ut ille ipse ardor, qui τοῦ θυμοειδοῦς proprium est, rationem adjuvet in quavis re agenda⁸⁶⁾. Sicuti Plato honestatem ac sapientiam omni remota voluptate non esse expetendam existimavit, ita Christiana doctrina praecipit, ut illae, quas ratio licitas necessariasque censeat, cupiditates satientur⁸⁷⁾. Virtutem porro neque utilitatis neque felicitatis cujusquam specie nec gloriae nec ostentationis studio duci, sed pura integraque mente et erga rationem obsequio conspici utraque doctrina docemur⁸⁸⁾. Accedit quod neque Christus neque Plato censuit virtutem his in terris esse omnibus numeris absolutam. Ad majorem enim perfectionem entis hominem et appropinquare ad numinis divini praestantiam uterque profes-

καὶ συνέσει πνευματικῇ — — v. 28. — διδάσκοντες πάντα ἄνθρωπον ἐν πάσῃ σοφίᾳ, ἵνα παραστήσωμεν πάντα ἄνθρωπον τέλειον etc.

⁸³⁾ Cf. 1 Joh. 2, 3. καὶ ἐν τούτῳ γινώσκωμεν, ὅτι ἐγνώκαμεν αὐτόν, ἐὰν τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ τηρῶμεν. v. 4. Ὁ λέγων· Ἐγνώκα αὐτόν, καὶ τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ μὴ τηρῶν, ψεύστης ἐστὶ, καὶ ἐν τούτῳ ἡ ἀλήθεια οὐκ ἔστιν.

⁸⁴⁾ Cic. Tusc. 5, 13. Hic igitur (animus humanus) si est excultus, et si ejus acies ita curata est, ut ne caecetur erroribus, fit perfecta mens i. e. absoluta ratio, quod idem est virtus. Cf. supra not. 29.

⁸⁵⁾ Cf. Eph. 4, 31. 32. vid. supra not. 73.

⁸⁶⁾ Cf. not. 12. supra.

⁸⁷⁾ Cf. not. 16. supra.

⁸⁸⁾ Cf. not. 28. 41—44.

sus est ⁸⁹⁾. — Initium autem omnis virtutis Plato posuisse videtur in cognitione boni ipsius. Emendari enim hominem non posse dicit nisi cognitione emendata. Ideoque nos jubet in nosmet ipsos descendere ⁹⁰⁾ nostrique notitiam nobis comparare, ut omnem sentiendi cogitandique rationem nostram penitus perspiciamus. Divinam enim legem nobis a deo insitam ejusque praestantiam antea cognoverimus necesse esse, quam vitiositatem nostram intelligere et ad virtutem nos accommodare possimus. Quam cognitionem qui plenam adeptus fuerit, doloribus eum perfundi et pudere eum ac poenitere vitae antea actae. Simulae vero ad divinam illam legem animum intenderit et composuerit, in lucem veritatis se convertet, totus penitusque commutabitur et novam veluti vitam ingredietur. Jam etsi non ad verbum hanc Platonis de virtutis initio sententiam expressimus, facile tamen intelligitur, quam prope illa ad Christianae religionis dogmata de μετανοία, ἐπιστροφή et ἀνακαινώσει accedat.

Reliquum est, ut Platonis de amore sententiam enodatus, quam supra fieri potuit, interpretemur. Studium illud virtutis sive dei imitatio nihil aliud nisi dei amor Platoni esse videtur ⁹¹⁾ in eoque Christianae doctrinae interpretes non minus cum eo consentiunt. Amare enim deum nihil aliud est in sacris libris quam honesta lubenti animo facere ⁹²⁾. Amor secundum Platonem ex pulcro, quod idem bonum est, nascitur. Quum vero hujusmodi perfectio summa, quae admirationem commoveat, in deo sit, neque aliud quidquam ad ejus bonitatem accedat, per se id consequitur, ut summus deo debeatur amor. Hinc exoritur studium deo placendi libenterque de eo cogitandi et legem divinam in ideis pulcri, justique nobis propositam servandi. Quicquid igitur amorem hunc impedit debilitatque sive cupiditates libidinesque sunt, sive opiniones vanae, id animo est expellendum vel coercendum maximopere. Ex amore illo existit etiam reverentia pietasque in deum ⁹³⁾, quae a turpibus facinoribus nos deterret et ad pulcra sive honesta incitat. Hinc submissa erga deum verecundia proficiscitur, quae prohibet nos, ne sapientes nobis omnibusque numeris absoluti videamur ⁹⁴⁾. Viget igitur in Platonica quoque doctrina ταπεινοφροσύνη illa, quamvis non tam perspicue appareat quam in Christiana. Ac ne fides quidem illa sive fiducia in deo posita, quae in religione Christiana plurimum valet et ex amore studioque rerum divinarum perhibetur enasci ⁹⁵⁾, Platonis doctrinae prorsus deest, etiamsi hanc animi notionem verbo non expresserit. Credere enim nos jubet, nihil nobis, dummodo virtutem colamus, unquam defuturum esse, quod ad veram felicitatem pertineat, benigneque deum salutem nostram nunquam non prospicere ⁹⁶⁾ hominesque ad fructum beatitudinis sempiternae post mortem futurae perducturum esse.

⁸⁹⁾ Vid. supr. not. 74. Cf. Phil. 1, 6. 9. 10. Marc. 10, 18.

⁹⁰⁾ Vid. supr. not. 38. Praeclare igitur Kantius: „Nur die Höllenfahrt des Selbsterkenntnisses bahnt den Weg zur Vergötterung.“ Nam exstirpare vitia nequimus, nisi diligenter investigaverimus eadem nec vulnera sine doloribus curantur. Sen. ep. 28. Qui peccare se nescit, corrigi non vult. — Deprehendas te oportet, antequam emendes. Pers. Sat. 4, 52. Tecum habita et noris, quam sit tibi curta suppellex. Plin. ep. 8, 22. Ego optimum et emendatissimum existimo, qui ceteris ita ignoscit, tanquam ipse quotidie peccet etc.

⁹¹⁾ Conv. 206 a. not. 26. supr.

⁹²⁾ 1 Joh. 2, 5. Ὅς δ' ἂν τηρῇ αὐτοῦ τὸν λόγον, ἀληθῶς ἐν τούτῳ ἡ ἀγάπη τοῦ θεοῦ τετελειώται. Cf. 1 Joh. 4, 20. Eccl. 12, 13. 14.

⁹³⁾ Euthyphr. 7. 8. 12. Luc. 1, 75. Cf. not. 28. supr. Mem. Socr. 3, 9. 14. sq. τὸν δὲ μηδὲν εὖ πράττοντα οὔτε χρήσιμον οὐδὲν ἔφη εἶναι οὔτε θεοφιλή.

⁹⁴⁾ Vid. supr. not. 30.

⁹⁵⁾ „Non potest diligi, quod esse non creditur.“ August. de Civ. D. 1, 37.

Hanc quidem fiduciam ait efficere, ut in benignitate sapientiaque dei acquiescamus, et ob infirmitatem naturae nostrae auxilium ejus ad virtutem assequendam imploremus et aequo animo feramus omnia, quae nobis accidunt, qualiacunque demum nobis videantur. Ex quo animi statu nasci laetissimam illam ejus tranquillitatem⁹⁷⁾, quae in secundis pariter atque in adversis rebus praesidium, spem, solatium nobis suppeditat. Ex hac denique fiducia proficisci justa animi desideria omnesque veras preces rectis de deo sentiis haud indignas⁹⁸⁾, quales postulant illi Juvenalis versus, qui Platonis mentem exprimunt:

Permites ipsis expendere numinibus, quid
 Conveniat nobis rebusque sit utile nostris,
 Nam pro jucundis aptissima quaeque dabunt Di.
 Carior est illis homo, quam sibi.

Ex hoc autem amore divini sanctique consequitur, ut, quicquid aliis hominibus insit divinitatis, in amore habeamus. Neque nobis, inquit Plato, solis nati sumus, sed ut in aliis quoque adjuvandis elaboremus. Quum vero amor aliorum hominum proficiscatur secundum Platonem a virtutibus cuique insitis, opera danda est, ut, quae in quoque bona vel pulcra sint, exquiramus et cogitemus ejusque consuetudine meliores fiamus et sapientiores atque invicem ad virtutem ducamus illum, quem veluti partem nostri vel dimidium prosequimur. Quo eodem amore efficitur, ut non modo, quod nocere possit hominibus, evitemus, verum etiam omnia, quae prodesse ipsis ad virtutem queant, faciamus, injurias autem nobis illatas aequo feramus animo. Quae quam mire concinant cum religione Christiana, nemo non videt, quamvis praestantius hac de re sentiant sacrarum litterarum interpretes.

Denique quam civitatis imaginem amore pietateque sanctitae ad imitandum nobis proposuit Plato, comparare licet cum coelesti illo regno, quod vocatur in libris sacris. Est enim illa Platonis civitas nihil aliud, nisi omnium hominum societas, cujus finis ac fundamentum est generis humani cum deo similitudo, in eoque valde concordare cum sacris litteris nobis Plato videtur⁹⁹⁾.

⁹⁶⁾ Vid. sup. not. 55. Cf. legg. 10. 900. 902. sq. Matth. 10. 30. ὑμῶν δὲ καὶ αἱ τρίχες τῆς κεφαλῆς πᾶσαι ἠριθμημέναι εἰσὶ. — Tim. 30b. Rep. 612e. τῷ δὲ θεοφίλει οὐχ ὁμολογήσομεν, ὅσα γε ἀπὸ θεῶν γίγνεται, πάντα γίγνεσθαι ὡς οἰόντες ἄριστα. Cf. Rep. 2, 379. Jac. 1, 17. Πᾶσα δόσις ἀγαθὴ καὶ πᾶν δώρημα τέλειον ἄνωθεν ἐστὶ καταβαίνον ἀπὸ τοῦ πατρὸς τῶν φωτῶν etc.

⁹⁷⁾ Phil. 4, 7. καὶ ἡ εἰρήνη τοῦ θεοῦ ἢ ὑπερέχουσα πάντα νοῦν φρουρήσει τὰς καρδίας ὑμῶν. κ. τ. λ. Cf. Rom. 15, 13. 5, 1. Joh. 14, 27. Legg. 3, 689d.

⁹⁸⁾ Cf. Legg. 3, 678d. sq. 7, 801a. sq. Matth. 26, 39. — Πάτερ μου, εἰ δυνατόν ἐστι, παρελθέτω ἀπ' ἐμοῦ τὸ ποτήριον τοῦτο· πλὴν οὐχ ὡς ἐγὼ θέλω, ἀλλ' ὡς σύ. v. 42. πάτερ μου — γενηθήτω τὸ θέλημά σου Cf. not. 29. supr. — Val. Max. 7. 2. Socrates — nihil ultra petendum a diis immortalibus arbitrabatur, quam ut bona tribuerent (Xen. mem. 1. 3, 2.), quia ii demum scirent, quid unicuique esset utile. Etenim densissimis tenebris involuta mortalium mens, in quam late patentes errores caecas preces spargis. Desine igitur — teque totum coelestium arbitrio per mitte. Plin. Paneg. 3. 5. Animadverto etiam deos ipsos non tam accuratis adorantium precibus, quam innocentia et sanctitate lactari gratioremque existimari, qui delubris eorum puram castamque mentem, quam qui meditatam carmen intulerit.

⁹⁹⁾ Vid. not. 33. supr. Cf. Rep. 3, 415. ἐστὲ μὲν γὰρ δὴ πάντες οἱ ἐν τῇ πόλει ἀδελφοί etc. Rep. 9, 590d. ἵνα εἰς δύναμιν πάντες ὅμοιοι ᾖμεν καὶ φίλοι τῷ αὐτῷ κυβερνώμενοι. Cic. de legg. 1, 7. Si vero hisdem imperiis et potestatibus parent, multo etiam magis parent huic coelesti descriptioni mentique divinae et praepotenti deo, ut jam universus hic mundus una civitas communis deorum atque ho-

Ad perfectionem omnium civium mutuo amore conjunctorum spectat illa civitas, ad virtutem omnibus numeris complendam, qualis ex omnium virium humanarum concentu proveniat. Talis enim est illa civitas, qua omnes fraterno foedere quasi juncti veluti membra unius corporis mutuo se amplectantur amore solumque suam in aliorum salute juvanda quaerant salutem; ubi ad magnum illum finem consequendum optima spectet educatio liberorum ¹⁰⁰⁾, in quibus spes sit futurae generis humani felicitatis posita omnis, ubi inviolatum praeceptum illud servatur:

Nil dictu foedum visuque haec limina tangat,
Intra quae puer est. . . .
Maxima debetur puero reverentia. Si quid
Turpe paras, ne tu pueri contemseris annos.
Sed peccaturo obsistat tibi filius infans.

minum existimanda etc. Sen. ep. 95. Omne hoc, quod vides, quo divina atque humana conclusa sunt, unum est: membrum sumus corporis magni. Natura nos cognatos edidit, quum ex iisdem et in eadem gigneret. Cf. Eph. 4, 4. sq. "Ἐν σῶμα καὶ ἐν πνεῦμα καθὼς καὶ ἐκλήθητε ἐν μιᾷ ἐλπίδι τῆς κλήσεως ὑμῶν etc. 1 Cor. 12, 26. καὶ εἴτε πάσχει ἓν μέλος, συμπάσχει πάντα τὰ μέλη· εἴτε δοξάζεται ἐν μέλος, συγχαίρει πάντα τὰ μέλη. Ὅτι οἱ ἐστε σῶμα Χριστοῦ καὶ μέλη ἐκ μέρους. Rom. 12, 4—6. 1 Cor. 12, 4—7. v. 12. sq.

¹⁰⁰⁾ Vid. sup. not. 32. Cf. Marc. 10, 14. — "Ἀφerte τὰ παιδιά ἔρχεσθαι πρὸς με, μὴ κολύετε αὐτὰ· τῶν γὰρ τοιούτων ἐστὶν ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ. Legg. 5, 729. Παισὶ δὲ αἰδῶ χρὴ πολλήν, οὐ χρυσὸν καταλείπειν κ. τ. λ.